

Maa . 1.



h. 89

DECANI
FACULTATIS MEDICÆ
GEORGII VVOLFFEGANGI
VVEDELII,
MEDIC. DOCTORIS, THEORETICES PROF. PVBL.
CONSILIARI ET ARCHIATRI DVCALIS
SAXONICI,
PROPEMPTICON INAVGVRALE
DE
VNGUENTO NARDINO,
QUO
SALUATOR NOSTER ANTE PASSIONEM
VNCTUS EST.

J E N Æ,

Litteris IOANN-ZACHAR. NISII.





Noxima omnibus seculis fuit unguentorum dignitas, non solum ad corporis usum salubrem, verum etiam ad gratiam, delectationem, & voluptatem. Notum est responsum Democriti, qui interroganti quomodo quis sanus degere posset, si exteriora inquiebat, oleo, interiora melle irriget. Ita enim & nitor & vigor partibus redditur, si accidente frictione lassa cum primis membra delibuantur unguento; ita recreantur spiritus, si grato odore afficiantur, immmediato contactu ad illos lato.

Unicè jam ad se nos vocat unguentum nardinum, quo Maria, soror Marthæ & Lazari, Salvatorem nostrum Jesum Christum, paucos dies ante, quam pateretur, velut in sepulturam unxit, æternam memoriam hoc ipso merita. Discumbente enim eodem & cœnante, accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, alabastro servati, & fracto alabastro effudit super caput ejus, eodemque unxit pedes Jesu, & extersit capillis suis. Inde & domus impleta est ex odore unguenti, & discipuli, cum primis Judas Iscariotes, indignati, trecentis denariis & ultra illud venundari potuisse causati. *Matth. 26. v. 6. 7. Marc. 14. v. 3. seq. Job. 12. v. 3. & c. 11. v. 2.*

Qualenam fuerit hoc unguentum, non nisi è loculis medicis explanari potest. Μύρον τάρρδες audit, quod alias & absolutè η τάρρδος, η Δικαιοτάρρδες μύρον, & μύρον τάρρδον, unguentum nardinum, à materiâ, seu basi, (quæ nomen largitur ut plurimum medicamentis,) à nardo seu spicâ Indicâ hodienum dictâ vocatur. Hæc ipsa magnâ fuit in estimatione olim, ob odoris aromatici suavitatem, tum sacris testibus, *Cantic. 4. v. 13. 14.* tum profanis, uti apud *Hora-*

tium

tium Epod. V. nardo perunctum, quale non perfectius, meæ laborarunt manus; Tibullum: Jamdudum Syrio ma- defactus tempora nardo. item: Illius puro distillent tem- pora nardo. Senecam Herc. Fur. Fortem vocamus, cujus horrentes cornæ maduere nardo?

Dicitur idem μύρον νάρδος τησικῆς, quod pisticum, & spicatum, apud Marcum, vulgata reddidit. Enimvero ter- minus τησικῆς, seu ad nardum referatur, seu ad ipsum un- guentum conjunctim, si rem species medicus est, ad deno- tandam integritatem & genuinitatem medicamenti, ut idem sit, quod fide dignum, non fucatum, germanum, non adulteratum, ein aufrichtiger unversäfchter Balsam/ vid. Clauberg. Ontosopb. S. 150. p. m. 65. uti etiam rectissimè vertit Lutherus.

Non uno enim nomine unguentum hoc genuinum dictum & discriminatum est medicis, primò ob locum præparationis: quam in rem consultum est integrum lo- cum Galeni adscribere ex l. XI. Metb. medend. c. 16. ἔτω γέ, inquit de unguento nardino, καὶ τὰτ' ἀερισον. Οὐ σμικρὴ γάρ οὐδὲ φορὴ διπλή ταχὺς τὸ Φαῦλον. Οὐ γοῦ ἐν Νεαπόλει τῆς ἵπαλίας σκυδαζον, ὄνομα μόνον εἰς μύρην περδίνε, ωδεβαλλό- μφον τῷ κατέ την ἀσίαν. Εὐτεροθεν μὴ ἐν λαοδικείᾳ μέγη σκυδαζόμφον. οὐδὲ γέ ἐν πολλαῖς ἡδη τέλεσιν. Esto autem opti- mum id quoque. Neque enim parum interest inter id, & quod vitiosum est: cum id quod Neapoli in Italia conficiunt, nomine tantum nardinum unguentum sit, si cum eo, quod in Asia fit, conferatur. Id antea Laodicea tantum componeba- tur: nunc etiam in multis fit oppidis.

Deinde ob nardum ipsum, cum species novem, quæ nardum Indicum imitentur, dictæ sint à Plinio l. 13. N.H. c. 1. p.m. 61. ubi, tanta, addit, materia adulterandi est. Addi-

meretur & tertium, ob compositionem ipsam. Geminum enim unguentum nardinum in usu erat: unum incompletum, ex oleo omphacino, junco odorato, calamo, costo atque nardo; alterum completum ex oleo balanino aut omphacino, junco odorato, costo, amomo, nardo, myrrâ & balsamo. Utrumque describit *Dioscorides* l. 1. c. 75. & posterius ex eodem *Plinius* l. c.

Licet verò aliâ significatione nonnullis vertatur *m̄n̄ḡv d̄m̄t̄ ḡ m̄n̄v*, ut denotetur unguentum potabile; minus tamen congruè id sit, sive liquidum, seu potabile propriè intelligamus, siquidem unguenta pleraque hujusmodi erant fluida, ut hoc sensu minus possit discriminari addito hoc epitheto. Nec medicis unguentum potabile tam notat fluidum & liquidum à consistentiâ, quam ab usu communi, interno & externo. Et si concedamus, unguentum nardinum etiam interius fuisse in usum vocatum, non minustamen id ipsum cum aliis habet commune pretiosis, uti & hodiè balsama artificialia, quæ in locum eorumdem cesserunt, utrique usui inserviunt aliquando.

Locus clarissimus est apud *Galenum* l. 8. de compof. medic. n. 1. c. 4. ubi: ἡ νάρδινον μύρον, ἡ τῶν λίων πλυνθῶν τὶ δίστη μὲν ἵδατο. Aut unguentum nardinum, vel aliquid pretiosum dato ex aquâ. Cujus rei instar hodiè est balsamum de Peru, quod & interius in affectibus ventriculi assumitur, & exterius usu & suavitate se commendat. Imò vix similis usus loquendi hâc significacione apud Græcos scriptores occurrit. Multo minus à piso vel pinsō dicitur, quasi innuatur pressa & contusa in liquorem; id enim & radici Græcanicæ non respondet, nec ipsi præparationi, neque enim nardus hoc pacto præparatur.

Pre-

Pretiosum hoc fuit, *βαρύπιμον, πλύπιμον, πλυπλές*, estimatum trecentis denariis & ultra, ob balsami nempe orientalis genuini accessionem, unde novum non fuit excedere, verbis Plinianis *L. 13 c. 3.*, quadringenos denarios libras. Suntque hæc talia ingredientia ex eorum numero, quorum pretium modò majus, modò minus paulò pro diverso proventu habetur. Cumque denarius æquipolleat drachmæ, faciunt trecenti denarii triginta septem imperiales cum dimidio.

Servatum idem fuit in alabastro, unguenta enim optimè alabastris servari, autore est idem *L. c. & L. 36. c. 8.* Confer. *Athenaeus diplosoph. l. 15. c. 14. & 17.* Fractum est vasculum partim obtenuitatem parietum, partim ut effunderetur totum eo promptius & deditâ operâ. Inter notas enim bonitatis etiam fuit *ἡ λεπότης καὶ υγείτης*, tenuitas & liquiditas unguenti, ut promptè illini & partes illitas pervadere posset. Tacemus, vocatum esse tum spicatum, ob ipsam nardi spicam, tum foliatum, accessione malabathri nobilitatum, quamvis hoc malabathrinum etiam seorsim hinc appellatum fuerit, non confundendum cum altero.

Quod locum attinet illinitionis, caput & pedes nominantur, loca præcipue illini consueta. Caput quidem, ut deorsum, pedes, ut sursum dideretur odoris gratia. Adde, utrumque roborandi gratiâ factum, pedes enim sunt portatores universi corporis, caput præses & rector. Ut ut enim & facies ipsa, & manus, & pectus inungerentur, non minus ac partes quævis curandi fine eam opem sibi exposcunt; illæ tamen potiores ferè erant, quod apud *Athenæum* passim, cum primis verò *L. 12. c. 30. L. 15. c. 18.* ne alios laudemus plures, expositum videoas.

Sin rationes hujus inunctionis inquiramus, communis fuerit, quod advenientibus hospitibus lavare pedes solitum erat, *Genes. 18. v. 4. Luc. 7. v. 44.* idque etiam fœminis non indecens *1. Timoth. 5. v. 10.* quod convivis asportari & distribui unguenta receptum; quorsum & illud Horatianum referri potest, *l. 2. Od. 11:* *Dum licet, Assyriaque nardo potamus uncti.* Privatum verò laudandus affectus sincerus, reverentia major & liberalitas hospitis Mariæ hujus, ut tantò dignius exciperet hospitem, & veneraretur convivam, talem inunctionem plenâ fide instituentis.

Hæc præfari voluimus, occasione Disputationis Inauguralis Clarissimi

JOHANNIS WOLFGANGI ECKHARDI,
MEDICINÆ DOCTORANDI DIGNISSIMI.

Vitalem hic lucem hausit Numburgi Ann. M DC LXIII. D. II. Novembr. parentibus Nobilissimo, Amplissimo & Experientissimo, VITO ECKHARDO, Medicinæ Licentiato & Practico famigeratissimo, & AGNES BLANDINA KüSELIA, JOHANNIS KÜSELI Pharmacopœi Aulici Altenburgensis, viri in pharmaciâ communi & selectiori chemicâ versatissimi, filiâ unicâ, eaque ornatissimâ.

Hac verò beatè fato functâ, vix sex elapsis inde mensibus, sicq; maturius abreptâ, curæ patris educandus relictus filius à teneris virtutis & liberalium artium studiis mancipatus est. Hinc jactis Numburgi, Cizæ, Altenburgi, Smalcaldicæ & Erfurti pietatis & literarum rudimentis in illustrem scholam Portensem Ann. M DC LXXIV. co-optatus alumnus Electoralis sub Clarissimorum virorum dexteritate & candore adolevit.

Gratâ mente veneratur Præceptores honoratissimos, M. JOHANNEM GEORGII LAVRENTII, Rectorem, M. JOHAN-

HANNEM BARTHIUM, Pastorem & Inspectorem, beatis.
jam adscriptum, M. CHRISTIANVM GÜNTHERVM, Con-
Rectorem, M. CHRISTOPHORVM FRANCKIVM, t.t. Colle-
gam tertium, hodiè verò Inspectorem, & MICHAELEM
RÖSSERVM, Cantorem.

Instructus genuinis his fundamentis Ann. M DC LXXX
D. XI. Novembr. Salanam nostram petiit, me Rectore, nu-
tu parentis Philosophiae & Medicinæ operam daturus. In
Physicis cumprimis & Mathesi profectus sibi fœneravit,
sub auspiciis Excellentissimi JOH. ANDREÆ SCHMIDII,
Logices & Metaphysices hodiè Professoris celeberrimi.
Nec interrupit hæc studia inopina Parentis valetudo, eaq;
chronica & beatâ ἀναλύσει terminata, quin animatus pa-
rente altero lustrico D. ADAMO HABERKORNIO, Archiatro
Ducali Saxo-Cicensi, piæ memoriæ, strenue in stadio,
quod decurrere cœperat, perrexit, sestatu Excellentissi-
mos artis Professores, D. RVDOLFFVM WILHELMVM CRAV-
STIUM, de antimonio & affectibus particularibus differen-
tem; D. AVGVSTINVM HENRICVM FASCHIVM, in Botani-
cis & Anatomicis, publicè & privatim factis profectioni-
bus juxta ac demonstrationibus.

Divertit quoque eo fine Lipsiam, celeberrimi Ana-
tomici D. JOHANNIS BOHNI secandi dexteritatem admi-
ratus, non minus ac humanitatem. Silentio involvo,
quæ sub meâ manuductione in noscendis & applicandis
medicinæ genuinis dogmatibus tractaverit. Ubivis enim
solerterem, modestum, & sedulum se exhibuit, seu chimicis
operaretur arcanis, seu exercitiis aliis Lectoriis & Dispu-
tatoriis omnis generis interesset, quæ inter & Disputa-
tionem IX. Amœnitatum Materiæ Medicæ defendendam
suscepit.

Cumq;

Cumq; in exteris quoq; Academiis fœnerari profectibus suis accessionem constituisset, Ann. M DC LXXXV. mense Mayo iter ingressus, tum ubivis occasionem quæsivit ad eundi medicorum proceres, tum Lugduni Batavorum in primis substituit per integrum & amplius annum, veneratus lumina artis præcipua, D. CAROLVM DRELINCVR TIVM, in Anatomicis, D. LVCAM SCHACHTIVM, in praxi, D. CAROLVM DE MAETS, in chimicis, D. PAULVM HERMANNVM in botanicis & materiâ medicâ, D. WOLFERTVM SENGVERDVM, & BVRCHERV M DE VOL DER, in physicis; seorsim etiam in chimiâ, praxi & pharmaceuticis D. IACOBVM LE MORT, in chirurgicis D. ANTONIVM NVCKIVM.

Locupletatus inde apparatu omnigeno, domum reversus praxi exercendæ in patriâ operam dedit; nuper verò ad nos rediens in numerum Candidatorum recipi petiit. Cognitis sufficientissimis profectibus & in arte peri- tiâ insigni non solum annuit Facultas, sed & ut publicè Disputatione Inaugurali, de Intemperie corporis humani morborum fœundâ matre, sub præsidio prælaudati D. FASCHI ad diem XII. Novembris habendâ se commendet, fores aperuit.

Huic actui solenni ut Magnificus Academiæ Rector Proceres, & Professores, reliquique omnium ordinum Hospites & Medicinæ Fautores gratiôse & benevolè interesse dignentur, nomine publico decenter rogo & invito.

P.P. Sub Sigillo Facultatis. Ann. M DC LXXXVII.

D. VI. Novembr.







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-537385-p0011-8

DFG






26 1298




56

1017




vc





Farbkarte #13



h. 180
DECANI
FACULTATIS MEDICÆ
GEORGII VVOLFFGANGI
VVEDELII,
MEDIC. DOCTORIS, THEORETICES PROF. PVBL.
CONSILIARI ET ARCHIATRI DVCALIS
SAXONICI,
PROPEMPTICON INAVGVRALE
DE
VNGUENTO NARDINO,
QUO
SALUATOR NOSTER ANTE PASSIONEM
VNCTUS EST.

J E N A E,

Litteris IOANN-ZACHAR. NISIL.

